



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Scientia Salvts, Sive Considerationes Piæ, Præcipuam
Spiritualis Vitæ Materiam complectens**

Laberhittel, Samuel

Ingolstadii, 1660

105. Dominica Passionis. Accusatio Christi, & defensio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59837](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59837)

MEDITATIO CV.

Dominica Passionis.

Accusatio Christi, & defensio.

Aspiciam D. JESVM coram Præsidente accusatum. Peram agnoscere causas accusationis & defensionis Christi innocentis.

Conf. 1. Quomodo accusaverint Christum summi Sacerdotes in multis: non dubium, quin in unum collegerint, quidquid querelarum invenire potuerant: itaque rogati, quid vellent, ita inceperunt: *Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissimus eum, violatae legis sacrae, & profanae reum: est enim perturbator religionis; quia hunc invenimus subvertentem gentem nostram, qui commovit populum docens per universam Iudaeam, incipiens a Galilaea, qui nec Sabbata, nec observationes, nec traditiones ullas servat, sed explodit, & calumniatur omnes, audetque blasphemus dicere, quod remittat peccata: Filium DEI se denique facit; homo Nazaræus, unde propheta non surgit, Filius Mariae, faber, rudis, devorator, & bibens vinum, amicus publicanorum, & peccatorum, & magus, qui in Principe Dæmoniorum signa facit, quem fratres ejus dixerunt in furorem versum, teneretque aliquando voluerunt. Ad hæc invenimus eum prohibentem tributa dare*

Casari, & dicentem, se Christum Regem esse, quem rex populi copiosa sequitur, adeoque propter perturbationem Reipublicæ & Religionis mori debet.

*Conf. 2. Quomodo innocentiam Domini tueatur omnis sexus, ætas, & status, ipsaque Domini verba, & acta: è senibus Simeon, & Anna Prophetissa, atque Elisabeth, ejusque filius Ioannes, ille cujus testimonium negare non fuerunt ausi Iudæi, ex Scripturis prudentiores Dominum agnoverunt, è Phariseis Nicodemus, è nobilibus Ioseph ab Arimathea, è gentilibus multi, ex infantibus parvuli Christo acclamantes, ex infirmis sanati, ex mortuis suscitati, ex dæmoniacis liberati, ex dæmonibus integræ legiones, ex aëre & coelis Stella, columba, vox ternis vicibus revelata, sensibilibus hunc DEI Filium dilectum pronuntians: ex Angelis Gabriel, ex Prophetis omnes omnino, ipsi denique falsi testes adversarij ejus, & hostes, ipsæque adeò Iudas proditor innocentem confitetur. Agnoverunt Christum Messiam alij ex verbis ejus, alij ex operibus ejus. Ad extremum ipse quærens: *Qui ex vobis arguet me de peccato? Si reprehendi non potuit, manifestum est, quòd propter veritatem eum odio habuerint, propter invidiam eum Pilato tradiderint, ipsæque testes examinandum innocentem pronuntiatu-**

rus

rus sit. Ut tantæ innocentiaë suam particeps, ad mensam Domini adibo, quæ juxta D. Bern. de Coena Dom. *In magnis peccatis impedit consensum, & in minimis sensum minuit.* Rogabo à rubicundo propter accusationes, candido propter innocentiam, ut me à rubore reatus absolvat, innocentiaë candore ornet.

MEDITATIO CVI.

Feria 2. Dom. Passionis.

Secretum Pilati colloquium, & primum examen Christi, quis sit? & quid fecerit?

Aspiciam felicem, sua si bona nôset, Pilatum, quod nactus sit, à quo disceres beatus esse: sed infelicem, toti que mundo injurium, quod Regem veritatis loquentem de regno veritatis, vel non audiverit, vel plura non interrogaverit. Petam agnoscere innocentiam Christi, & imitari.

Conf. 1. Quomodo Pilatus introiens in Prætorium vocaverit IESVM, & dixit ei: *Tu es Rex Iudæorum?* quia magna de eo habebatur opinio, volebat omnia exquisitè rimari, amoto strepitu Iudæorum. *Respondit IESVS:* Ioan. 18. *Atmetipso hoc dicis, an alij tibi dixerunt de me?* est dilemma: Si ex te loqueris, pande signa rebellionis: si ab alijs percepisti, inquisitionem fac ordinariam. *Respondit Pilatus:* **A me hoc non dixi, à Iudæis audivi; si**